



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

[Privilegia.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

Episcoporum jurisdictionem aspiciunt, gratum nobis fecerint, si antiquiora, aut his similia à Carolo M. secularibus Principibus donata privilegia in medium attulerint. Haud interim dubium, quin reliquis Saxoniae Episcopis, primae donationum tabulae, pari forma & liberalitate, iisdemque privilegijs à Carolo M. datae, & consignatae fuerint, quas aut temporum injuria subtraxit, aut vetustas abolevit, nisi inter tabularia adhuc pressae teneantur. Nobis monumenta concludere non ante visum fuit, quam & hoc Carolinae liberalitatis monumentum caeteris haud ignobilius accederet, & ad posteritatis memoriam consecraretur.

Privilegium Caroli M. Imp. Osnabrugensi Ecclesiae datum XIII. Kal. Jan. An. III. Imperij,

qui est annus Christi 803.

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus magnus pacificus imperator romanum gubernans imperium qui & per misericordiam Dei rex francorum & langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem domini nostri Ihesu Christi & reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus praesentibus scilicet & futuris qualiter donamus ad basilicam sancti Petri principis Apostolorum & sanctorum martirum Crispini & Crispiniani quam nos construximus in loco Osnabrugki & corpora illorum illuc transtulimus ubi praest vir venerabilis Wiho episcopus omne regale vel seculare iudicium super suos servos & liddones & liberos malman & mundman & omnes utriusque sexus homines eidem ecclesiae pertinentes quos modo possidet vel deinceps acquisierit & perpetuam de regia potestate confirmamus absolutionem ita ut nullus iudex publicus dux comes vel vicecomes vel scultetus sive missi dominici per tempora discurrentes loca illius episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de praescriptis eidem ecclesiae pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usquam terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat praefato episcopo suisque successoribus & suo advocato res praedictae ecclesiae cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere ordinare atque disponere. **Et ut haec auctoritas firmior ha-**

bcatus

*Handwritten text, likely a signature or seal impression, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.*

beatur ac diuturnis temporibus melius conservetur manu propria subter eam roborare decrevimus & de anulo nostro sigillare iussimus.



Data XIII Kl Jan anno. III. Christo propitio Imperij nostri & XXXVI. regni nostri in Francia. atque XXX. in Italia, Indiēt. XI. Actum Aquis palacio publico in Dei nomine feliciter amen.

Privilegium Caroli M. Imp. Osnabrugensi Ecclesie datum  
XIII. Kal. Jan. An. III. imperij qui est annus Christi 804.

**I**N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis  
Karolus imperator augustus romanum gubernans imperium qui & rex francorum & langabardorum nec non modo dominator & saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Dei æcclesie fidelibus nostrisque præsentibus scilicet & futuris qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum Wihoni Osnabrugensi episcopo suæque æcclesie quam nos primam omnium in saxonia in honore sancti Petri principis Apostolorum & sanctorum martirum Crispini & Crispiniani construximus quoddam nemus vel forestum infra hæc loca situm. farnevinkil. rutanstein. angeri. ofning. sinedi. bergashovid. drevensmeri. etanarfeld. dumeri. collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate in porcis videlicet silvaticis atque cervis avibus & piscibus omnique venatione quæ sub banno usuali ad forestum deputatur ad similitudinem foresti nostri aquisgranum pertinentis in silva ofningi in perpetuum proprietatis usum donavimus ea videlicet ratione quod si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum sine prædictæ sedis episcopi licentia studio venandi vel silvam extirpandi

vel aliquod hujusmodi negotium peragendi unquam intrare præsum-  
pserit. sciat se tam divinæ quam & regiæ ultionis vindictam incursum.  
nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis quos nobis  
pro banno violato deberi statuimus redditurum. Insuper vero eidem  
episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem &  
ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. nisi forte contin-  
gat ut imperator romanorum vel rex grecorum conjugalia federa  
inter filios eorum contrahere disponant tunc æcclesiæ illius episco-  
pus omni sumptu à rege vel imperatore adhibito laborem simul & ho-  
norem illius legationis assumat & hoc ea de causa statuimus quia in eo-  
dem loco grecas & latinas scolas in perpetuum manere ordinavimus  
& nunquam clericos utriusque linguæ gnaros ibidem deesse in Dei  
misericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur ac  
diuturnis temporibus melius conservetur manu propria subter eam  
roborare decrevimus & de anulo nostro sigillare iussimus.



Amalbertus ad vicem Ercanbaldi  
recognovi



Data XIII KI Jan anno. IIII. Christo propitio Imperij nostri & XXXVII. regni  
nostri in Francia. atque XXXI. in Italia. Actum Aquisgrani  
palatio in Dei nomine feliciter amen.



Hic post Caroli M. privilegia Osnabrugensibus concessa, quædam etiam Paderbornensis Ecclesiæ nostræ diplomata, à Ludovico Pio Imp. ejusq; filio Ludovico Germaniæ Rege, & Carolo Crasso Imp. Pij nepote data, atque ex autographis integerrima fide descripta subjungere placuit, ut Caroli M. erga primos Saxoniarum Episcopos liberalitatem filium ejus, ac nepotes imitatos aspiceret Lector; neque ex nostræ Ecclesiæ tabulario desideraret, quod ex alieno dedimus. Cæteras donationum antiquarum tabulas, quæ complures penes nos sunt, suo loco reddemus. Hæc tantummodò invitamento alijs esse cupimus, ut pari nobiscum studio Ecclesiarum suarum monumenta communicent, & patriæ historiam, cum summo posteritatis fructu, ac Cæsarium optimè de illis meritorum gloria, illustrent.

Privilegium Ludovici Pij Imp. Caroli M. filij,  
Paderbornensi Ecclesiæ datum IV. Non. Aprilis. An. VIII  
Imperij, qui est annus Christi 822.

**I**N nomine Domini Dei & Salvatoris nostri  
Iesu Christi. Hludovvicus divina ordinante providentia Imperator  
Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem  
Dei ejusque in eis locis sibi famulantes beneficia potiora largimur præ-  
mium apud Dominum æternæ remunerationis nobis rependi non dif-  
fidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris præsen-  
tibus scilicet & futuris quia venerabilis vir Baderadus Episcopus Ec-  
clesiæ quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ semper Virginis &  
sancti Kiliani in loco qui dicitur Paderbrunno missa petitione depre-  
catus est ut prædictam sedem cum omnibus ad se juste & legaliter mo-  
derno tempore pertinentibus vel aspicientibus sub nostra tuitione &  
immunitatis defensione cum rebus & mancipijs constitueremus quod  
ita & fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præci-  
pientes

Cc

pientes

pietes ergo jubemus ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudicia-  
ria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones  
memorata Ecclesia quas moderno tempore infra ditionem imperij no-  
stri legibus possidet vel quæ deinceps in iure ipsius loci voluerit divina  
pietas augeri ad causas iudicario more audiendas vel freda exigenda  
aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos aut ho-  
mines ipsius Ecclesie contra rationem distringendos nec ullas redibi-  
tiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore in-  
gredi audeat vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsu-  
mat. sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res prædictæ  
Ecclesie cum omnibus quas possidet quieto ordine possidere & nostro  
fideliter parere imperio. quicquid vero fiscus exinde sperare potuerit  
totum nos pro aeterna remuneratione prædictæ Ecclesie ad stipendia  
pauperum & luminaria concinnanda concedimus qualiter melius de-  
lectet clericos in eadem sede degentes pro nobis conjuge & prole no-  
stra Domini misericordiam exorare & ut hæc auctoritas per futura  
tempora melius conservetur manu propria subter firmavimus & anuli  
nostri inpressione signari iussimus

Signum

Hludovici serenissimi Imperatoris

Hirminmarus Diaconus ad vicem Fridagisi  
Abbatis recognovi



Data quarto Non. April. anno VIII Imperij domni Hludovici piissimi augusti. Indi-  
cione XV. actum aquisgrani palatio regio. In dei nomine feliciter amen.


Privileg

Privilegium Ludovici Regis Germaniæ, Ludovici Pij Imp. filij, Paderbornensi Ecclesiæ datum XI. Kal. Junij. An. XVII. regni, qui videtur esse annus Christi 842. aut 843. capit enim regnare Ludovicus Rex Germaniæ ab anno Christi 826. cum 18. Imperij Ludovici patris, sit sextus annus regni filij ejus homonymi, uti tum aliunde, tum ex literis ipsius Ludovici Regis constat apud Hundium in Salisburg. Metrop. tom. I. pag. 225.

**I**N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere loca Deo dicata & necessitates ecclesiasticas per petitiones pontificum atque sacerdotum nostro relevamus munimine atque tuemur juvamine id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transiendam & ad æternam obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ dei ecclesiæ nostrorumq; tam præsentium quam futurorum. Qualiter venerabilis Episcopus fidelisque noster Batheradus nomine veniens in procerum nostrorum præsentiam obtulit obtutibus nostris præceptum domni ac genitoris nostri Ludovvici serenissimi Imperatoris quod ipse facere jussit per petitionem præfati venerabilis Episcopi ad locum qui vocatur Paderbrtnno constructum in honore sanctæ Mariæ semper Virginis & sancti Kiliani in quo præcepto continebatur immunitas atque defensio seu tuitio domni Imperatoris genitoris nostri supra prædictum locum sed pro integra firmitate ac securitatis studio præfatus venerabilis Episcopus Bateradus deprecatus est mansuetudinem nostram ut ipsam defensionem atque tuitionem per nostræ mansuetudinis præceptum renovare dignaremur cujus petitioni ob amorem domini mei Iesu Christi & reverentiam prænominati venerabilis Episcopi seu animæ nostræ remedium libenti animo assensum præbentes tale auctoritatis præceptum ad ipsum sanctum locum fieri decrevimus quatenus sub quali defensione domni genitoris nostri fuit ita deinceps sub nostra tuitione & immunitatis defensione cum omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus permaneat. Præcipientes ergo jubemus ut nullus

Judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae Ecclesiae quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legibus possidet vel quae deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri ad causas judiciario more audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius Ecclesiae contra rationem distringendos nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea omnia quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat. Sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res praedictae Ecclesiae cum omnibus quae possidet quieto ordine possidere & nostro fideliter parere imperio, quicquid vero fiscus exinde sperare potuerit totum nos pro aeterna remuneratione praedictae Ecclesiae ad stipendia pauperum & luminaria concinnanda concedimus quatinus melius delectet clericos in eadem sede degentes pro nobis conjuge proleque nostra domini misericordiam exorare. Haec quippe auctoritas ut plenior in Dei nomine obtineat vigorem & a fidelibus sanctae Dei Ecclesiae ac nostris verius credatur & diligentius observetur manu propria nostra subter firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus

Signum



Domni Hludovvici serenissimi regis

Walto Subdiaconus ad vicem Witgarij Cancellarij recognovi



Data XI. Kal. Junij. anno Christo propitio XVII. regni Hludovvici serenissimi regis in Orientali Francia regnantis. Indict. VI. actum Frankonofurt palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

Privilegium




Privilegium Caroli Craffi Imp. filij Ludovici Regis Germaniæ, Paderbornensi Ecclesiæ datum  
Anno Christi 887.

**I**N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente gratia serenissimus Imperator Augustus. Si locis deo dicatis nostræ imperialis potestatis benevolentiam impendamus hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum fore liquido credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum cognoscat industria qualiter vir venerabilis nomine Biso Episcopus scilicet Ecclesiæ constructæ in honore sanctæ Mariæ semper Virginis & sancti Chilian in loco qui dicitur Paderbrunno attulit in præsentiam nostram beatissimorum avorum nostrorum augustorum pijque genitoris nostri conscripta in quibus continebatur qualiter ipsi antecessores nostri jus præfatæ Ecclesiæ cum hominibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt mundeburdo precatuque est mansuetudinem ut hoc ipsum a nostræ imperialis potestatis consensu fieri non recusarem. Nos autem ob amorem domini & ob remedium animæ pij genitoris nostri cæterorumque antecessorum nostrorum nec non & pro nostræ mercedis augmento paternos mores sequentes & benignitati ejus consentientes ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus iudex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet vel quæ deinceps in iura ipsius loci divina pietas voluerit augeri ad causas judiciario more audiendas vel freda exigenda mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos nec ullas redhibitiones vel injustas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. hominibus quoque famulatum ejusdem monasterij facientibus in hursteromarcu qui Saxonice malman dicuntur prædictum mundeburdum & tuitionem nostram constituimus ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur nisi coram Episcopo vel advocato quem

quem ejusdem loci Episcopus elegerit. quicquid vero fiscus exinde sperare potuerit prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum & luminaria concedimus & ipse Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio & sub nostra consistat defensione quatinus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis dominum melius jugiterque exorare delectet. Et ut hæc nostræ consensionis auctoritas plenior in Dei nomine obtineat firmitatem manu propria nostra subter eam confirmavimus & anuli nostri impressione assignari jussimus

Signum Domni  
Karoli



Serenissimi Imperatoris Augusti

Amalbertus Cancellarius ad vicem Luitberti  
Archicappellani recognovi



Data XI. Kal. Octob. Anno dominicæ Incarnationis DCCCLXXXVII, Indictione V.  
Anno vero regni KAROLI serenissimi Imperatoris Aug. in Italia VII, in Francia  
V. in Gallia III, actum ad Luffinauua curte regali in Christi nomine  
feliciter amen,

